

verba universalem omnium Subjectionem oppidò demonstrant, licet nos eandem nondum videamus, quia, dum in Ecclesia militante vivimus, gloria CHRISTI nobis invisibilis est, & beati sunt, qui credunt, etsi non vident, *Job. XX. 29.* Quid? si rem accuratius putemus, apparebit, ipsos hostes, nolint velint imperium CHRISTI admittere, nihilominus tamen CHRISTO, qui in medio ipsorum dominatur, *Pf. CX. 2.* eorumque consilia cohibet, dissipat, conatus infringit, punit & ad bonum finem dirigit, subjectos esse.

§. VII. Hæc ut paulò clarius fiant, ipsos eorundemq; subjectionem figillatim videbimus. Quod itaque (a.) *Satanam* attinet, ceu primum hostem, illum CHRISTO, *in sua persona considerato*, jam subjectum esse, oppidò liquet; Exspoliavit enim CHRISTUS hoc principatus, *Col. II. 15.* ita ut nil juris in ipsum habeant, *Job. XIV. 30.* in hoc namque apparuit Filius DEI, ut dissolveret opera Diaboli, *1. Job. III. 8.* Si verò CHRISTUM *in membris ipsius mysticis consideres*, nondum prorsus Diabolum subjectum esse, velinde patet, quod adhuc tentare, *1. Thess. III. 5.* circumire ut Leo rugiens, *1. Petr. V. 8.* magna cum ira ad incolas mundi venire, *Apoc. XII. 12.* Pios, ut cribret eos sicut triticum, expetere, *Luc. XXII. 31.* toties in Scriptura Sacra perhibetur. Hinc Apostolus etiam ejus Subjectionem plenariam *ratione nostri* ut futuram adhuc describit, dicendo: DEUS pacis conterat Satanam sub pedibus NB. *vestris* velociter, *Rom. XVI. 20.* Gemina huic tradit Judas Apostolus in Epistola, *vers. 6.* ubi Dæmones *reservari* in iudicium magni diei docet, *quia nec consummatam omnibus modis poenam adhuc dum accipiunt*, *Matth. VIII. 29.* quippe quibus non tam inflictum, quam paratum

paratum